

subposuimus interdicto. Vobis omnibus et singulis. Auctoritate nobis commissa distinete percipiendo Mandamus in virtute obedientie et sub . . . . excommunicationis. quam omnes illi qui Episcopi non sunt si in premissis negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurant. Episcopis vero et prelatis superioribus sub pena ingressus ecclesie quam in eodem modo si in premissis negligentes fuerint ipso incurant. quatinus predictum Bartholomeum excommunicatum per nos propter causam predictam et terras ipsius ecclesiastico subpositas interdicto. puplice nuncietis. vel per alios nunciari puplice coram populo faciatis in ecclesiis vestris diebus singulis. dominicis et festivis. Datum Melfie, XX<sup>o</sup> decembris IIII<sup>te</sup> Indictionis. Sane. quia nec sic aliquid proficere potuimus predictum ipsum, sed semper ad deteriora prolabitur excommunicationis sententiam vilipendens omnino Nos certas personas secum scientes participantes. moneri fecimus. ut infra certum terminum et de cetero ab ipsius partecipatione . . . . et ipsum sicut excommunicationem artius evitarent. Alioquin nos ipsos ex nunc prout ex tunc in scriptis excomunicavimus vicesimo secundo decembris. IIII<sup>te</sup> Indictionis. Sicut in licteris nostris inde confectis, plenius continetur. porro quia nichil actum putatur dum aliquid superest ad agendum ut mandatum nobis factum plenius impleatur brachium seculare ad eius contumaciam confringendam. et sententiam executionis debite demandandam. invocavimus et requisivimus per hec verba. Excellentibus. et Magnificis viris ac dominis. domino. R. Comiti Atrebatane Illuxtrissimi ac domino Karolo principi Salernitano domini Regis Sicilie primogenito ac suo in eodem Regno Vicario generali. Sinibaldus Miseratione divina Melfiensis Episcopus. cum recommandacione se ipsum. Noviter Excellentia vestra. Nos a Reverendo patre domino B. divina providentia Episcopo penestrino in Regno Sicilie Apostolice Sedis legato recepisse licteras in hac forma: B. et c. Verun quia predicti domini mandatis obediendo circa exe-